



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. IV. Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

nati, necessitate compulsi, exempli gratia, tempore pestis, quando alius deest, incidant, vel adurant, irregularitatem non incurrunt, cum non peccent; Nec incurrunt, si secundum regulas artis jubeant incisionem, vel adustionem; Nec si applicent emplastrum mollificativum, quo apostema aperitur, etiamsi mors sequatur sine gravi culpa; Nec qui adjuvat chirurgum abscedentem membrum infectum.

Addo ex Bonac. contra nonnullos, quod si Clerici in Sacris constituti exerceant officium medici, & chirurgi, incidendo, & inurendo, peccant quidem contra prohibitionem, sed non incurrunt irregularitatem, nisi mors ex propria culpa sequatur; cum irregularitas ex defectu lenitatis solum a ministris justitiæ incurratur; & ab iis qui occidunt vel mutilant in bello justo.

XII. Queritur demum; Quisnam possit in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare?

Respondetur, solum Pontificem, & Prælatos mendicantes, qui privilegium habent dispensandi in omni irregularitate cum suis religiosis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & mutilatione, ut dicemus de Bigamia. Putant tamen multi apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 69., & part. 7. tract. 2. resol. 26., & 27., quod etiam Episcopus possit in hac irregularitate dispensare.

#### ARTICULUS IV.

Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu.

I. Qui ante legitimam ætatem ordinatur, non est irregularis, sed suspensus, si mala fide Ordines susceperit: Quod si bona fide, non incurrit suspensionis censuram; ne-

quit tamen illos exercere.

II. Quisnam dicantur ex defectu libertatis irregulares.

III. Num ex debito pecuniario incurratur aliquando irregularitas ex defectu libertatis.

IV. Triplex datur Bigamia inducens irregularitatem ex defectu significationis, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. Interpretativa habetur quadrupliciter: Similitudinaria vero per duplex matrimonium, alterum carnale, alterum spirituale cum Christo per votum solenne Castitatis, saltem in professione Religiosa, si minus in Ordine Sacro.

V. Potest Episcopus dispensare in Bigamia similitudinaria; At in interpretativa solum quando est occulta. Mendicantes ex suis privilegiis possunt in bigamia cum suis subditis dispensare.

VI. Irregulares sunt omnes infames tam infamia juris, quam infamia facti: Tollitur infamia facti per emendationem vite continuatam per triennium. Infamia juris raro admodum a Pontifice dispensatur.

VII. Solemnis pœnitentia olim irregularitatem inducebat.

VIII. Num illegitimus occultus sit irregularis ex defectu natalium? Tripliciter hac irregularitas tollitur, per legitimacionem factam a Pontifice, per Professionem Religiosam, & per dispensationem.

IX. Episcopus potest in hac irregularitate dispensare, si delictum Parentum sit occultum.

X. Num expositus, cujus parentes ignorantur, presumendus sit legitimus?

XI. Num, & quando in amente, ac furioso cesset irregularitas, si sanitatem recuperent?

XII. Quisnam illiteratus sit irregularis ex defectu scientiæ?

XIII. Potest Pontifex dispensare in defectu

fectu scientia requisita iure canonico, non vero requisita iure naturali.

XIV. Neophyti universim per decennium sunt irregulares.

XV. Quinam defectus corporis irregularitatem inducat?

XVI. Ad Episcopum spectat iudicare, num talis defectus corporis inducat irregularitatem? Ad Pontificem vero spectat in ea dispensare. Quid de Religiosis?

XVII. Carens pollice, cum non possit ad Sacerdotium ascendere, neque poterit alios Ordines suscipere.

I. PRIMO quidem ante legitimam aetatem, qua possunt Ordines suscipi, unusquisque dicitur irregularis ex defectu aetatis, ex cap. ultimo, de temporibus Ordinationum, quamvis Scotus apud Blondum dicat, pueros non esse proprie irregulares, sed solum prohiberi, ne Ordines suscipiant, sicut prohibentur peccatores; qui tamen non sunt irregulares. Quod si quis Ordines ante legitimam aetatem suscipere praesumpserit, incurrit suspensionem; Et si Ordines exerceat, incurrit irregularitatem; Si vero ante legitimam aetatem ignoranter Ordines suscipiat, non potest illos ante debitam aetatem exercere; Quod si exerceat, irregularitatem non incurrit, cum non violet censuram.

II. Secundo, sunt etiam irregulares ex defectu libertatis Conjugati, nisi uxores consentiant, & voveant castitatem. Similiter mancipia; necnon ex Laym. cap. 8. Servi originarii, vel ascriptitii, qui personaliter Domino suo sunt obligati, ita ut discedere non possint, nisi soluto pretio, aut nisi manumittantur. Si tamen Domino sciente, & non contradicente ordinentur, eo ipso sunt liberi. Si vero Domino nesciente, aut contradicente in minoribus ordinentur,

potest illos sibi vindicare: Quod si Sacro Ordine sint initiati, tenetur Episcopus duplicatum pretium Domino solvere, si scienter ordinaverit: Si tamen bona fide id fecerit, tenentur ad duplicatum pretium illi, qui servum induxerunt ad Ordines suscipiendos; Quod si a nullo sit inductus, debet se redimere ex proprio peculio; & si nihil poterit offerre, potest Dominus illum sibi intra annum vindicare; Nisi tamen Sacerdotium susceperit, tunc enim solum in officiis spiritualibus tenetur Domino ministrare.

Sunt pariter ex defectu libertatis irregulares omnes obligati ad rationem, hoc est obligati ad reddendam rationem administrationis, vel publicae, (ut Thesaurarii, Depositarii aris publici, Advocati, Magistratus, Iudices, Tabelliones, &c.,) vel privatae, (ut Tutores, Curatores, Procuratores, &c.) donec enim ratiocinium reddant, & deponant illius obligationem, ordinari non possunt; Non afficiuntur tamen tali impedimento, qui administrationem gerunt personae Ecclesiasticae, vel personarum miserabilium, ut pupillorum, viduarum, caesarum piarum, &c.

Utrum autem in causis Ecclesiasticis possint Clerici beneficiati Tabellionis munus exercere? Dubium est apud Doctores; Laym. docet, attendendam esse Dioecesum consuetudinem. Putat etiam, non esse prohibitum Ecclesiasticis, etiam in principum secularium Curias fungi officio Consiliarii, Cancellarii, & etiam Iudicis; in causis tamen civilibus, non vero in criminalibus, etiam si citra mortis, & mutilationis sententiam: Et de facto multi Regii Consiliarii sunt Sacerdotes, saltem ex tacita Pontificis concessione, seu ex consuetudine.

Denique ex defectu libertatis sunt etiam irregulares Curiales, seu qui

ex

ex obligatione inserviunt Curias Principum secularium, ut Judices, Advocati, Milites, Apparitores, saltem quamdiu juramento tenentur; Non vero qui inserviunt Curie Episcopali, vel qui obsequii causa, & non ex obligatione frequentant Curias Principum: Sunt etiam eadem ratione irregulares Feudatarii, qui ratione possessionis acceptae tenentur obsequium personale præstare Domino, donec vel feudum relinquunt, vel facultatem recipiant a Domino directo.

III. Rogabis; An ex debito pecuniario incurratur irregularitas?

Respondeo, per se non incurri; confurgit tamen per accidens, si periculum sit litium, & confurgat obligatio ad reddenda ratiocinia; quamvis possit se ab hac irregularitate eximere debitor facta bonorum cessione, & reservata sibi congrua sustentatione, ex cap. *Odoardus, de Solution.*, ut docent Suar. disp. 51. sect. 9., Bonac., & alii.

IV. Tertio, Bigamus est irregularis ex defectu Sacramenti, seu significationis, eo quod non possit significare, & representare conjugium Christi cum Ecclesia, idest unius cum una. Est autem bigamus, seu digamus, qui binas contraxit nuptias, sicut monogamus, qui unicas.

Notandum tamen primo, irregularitatem hanc non contrahi absque matrimonio vero, vel præsumpto, & quidem consummato, ex cap. *Debitum, de Bigamis*; Et ratio est, quia non consummato duplici matrimonio, non habetur carnis divisio, & consequenter nec defectus Sacramenti, seu significationis.

Notandum secundo, triplicem dari bigamiam juxta Canones, quæ irregularitatem inducit, Veram, Interpretativam, & Similitudinariam. Vera habetur bigamia, quando quis duas uxores duxit successive, unam

post mortem alterius, dummodo cum utraque consummaverit; sive ante, sive post baptismum eas duxerit; sic enim habentur duo vera matrimonia. Bigamia interpretativa habetur, quando quis revera non contraxit cum duabus, sed ex juris interpretatione censetur cum duabus contraxisse; quod quadrupliciter accidit, juxta communioem opinionem apud Suar. & Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 47. Primo, si quis duo ineat matrimonia, alterum validum, alterum invalidum, dummodo utrumque consummet affectu maritali; aliter si ficto animo contrahit, ut extorqueat copulam, non est bigamus, ut notat Bonac. contra Suar.; Sicut non est bigamus vir conjugatus, si cum aliis adulteratur. Secundo, si duo ineantur, & consummentur matrimonia, utrumque invalidum; Quamvis Avil. ex Henr. neget in tali casu haberi bigamiam, & irregularitatem. Tertio, si quis ducat viduam a priori viro cognitam; vel si ducat solutam per fornicationem ab alio corruptam; vel nuptam a marito repudiatam, dummodo cum ea consummet; non tamen si ducat solutam ab eo prius ante matrimonium per fornicationem cognitam; cum non habeatur in tali casu Carnis divisio. Quarto, si quis ducat Virginem, & postquam ipsa cum alio adulteravit, illam cognoscat.

Bigamia vero similitudinaria habetur, quando non intercedit duplex matrimonium carnale, sed alterum spirituale cum Christo per votum solemne castitatis nuncupatum vel in Professione religiosa, vel in susceptione Ordinis Sacri; alterum carnale, quod consummetur: Quamvis Suar. disp. 49. sect. 4., Filliuc., & alii apud Bonac. putent, per votum Castitatis in Ordine Sacro non induci bigamiam, si initiatus Ordine sacro contrahat cum virgine; Siquidem talis irre-

irregularitas non est in jure expressa: Nec induci in Professio putat Henr. apud Avilam.

V. Inquires: Possitne Pontifex in tali irregularitate dispensare? Et ratio dubitandi est, quia talis irregularitas videtur inducta jure divino; cum Apost. 1. ad Timoth. 3. dicat, Episcopum debere esse *unius uxoris virum*.

Communiter tamen docent, irregularitatem hanc esse de jure Ecclesiastico; unde possit in ea a Pontifice iusta de causa dispensari, quamvis raro dispenset. Apostolus præceptum illud non promulgavit tanquam conditum a Deo, sed tulit tanquam Episcopum particularis, ut communiter Doctores docent; Pontifex autem dispensare potest in legibus latis ab Apostolis tanquam particularibus Episcopis; Immo potest Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine; Exempli gratia, potest dispensare cum Diacono, vel Subdiacono, vel Professo, qui contraxit matrimonium cum virgine, ut suscipiat Sacerdotium: Cum enim hæc bigamia non sit propria, sed similitudinaria, mitius agitur cum ea in jure. Addit Præpositus apud Escob. in Summ. cap. 5., quod possit etiam Episcopus dispensare in bigamia interpretativa, quando est occulta. Præterea communiter docent, quod possit Episcopus cum bigamis dispensare ad suscipiendos Ordines minores tantum, & ad beneficium simplex, & quod utantur Ordinibus susceptis. Verum Bonac. notat, ne ad primam quidem tonsuram posse nunc Episcopum dispensare, ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium apud Garz. part. 7. cap. 6. Demum Prælati Mendicantium possunt universim in bigamia cum suis religiosi dispensare, ut notat Avil.; quia Sixtus IV. concessit Ordini Minorum, ut possint

cum suis dispensare in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, & mutilatione.

VI. Quarto Irregularitas ex defectu incurritur ob infamiam; Potest enim, ut supra diximus, etiam innocens laborare infamia publica, & sic esse irregularis ex defectu. Est autem infamia, boni nominis, & æstimationis apud prudentes privatio, vel gravis diminutio: Et ea quidem duplex est, altera juris, altera facti. Infamia facti habetur, quando fama alicujus gravatur de aliquo crimine apud multos, etiam graves, per majorem partem vicinæ: Requiritur tamen, ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium, seu ita evidens majori parti vicinæ, vel Collegii, ubi ad minus sint decem, ut nulla possit tergiversatione celari, ut notant Castro, Hurt., & alii contra Suar., & Filliuc. ex Cap. de Temporibus Ordinariis; requiritur etiam, quod crimen vel sit qualificatum, ut hæresis, parricidium, exempli gratia; vel continuatum, ut concubinatus.

Infamia juris vel habetur per sententiam Judicis inurentem infamiam, quæ sit definitiva, & condemnativa, ut si quis ad publicam fustigationem damnetur; vel habetur ob crimen, cui ab ipso jure est annexa infamia, ut est usura ex officio, Lenocinium, Perjurium in judicio, bigamia simul sponte contracta, Raptus mulieris, Duellum, Proditio, Furtum, Rapina, Dolus, Crimen læsæ Majestatis, Crimen falsi, Sacrilegium, Adulterium, Sodomia, Concubinatus, Simonia relate ad Ordines, non vero relate ad beneficium, hostilis insectatio Cardinalium; ad quæ, ut diximus, requiritur notorietas facti, ut infamia hæc juris, seu legalis incurrat.

Præterea ex delicto alieno dicuntur etiam jure canonico infames filii, & nepotes injicientium in Cardinales ma-  
nus

nus violentas; filii etiam reorum laefa Majestatis; non tamen filii haereticorum, vel histriorum, aut carnificum, aliorumve vilia officia exercentium; Nec illegitimorum, ut notat Pal. punct. 20. cum Suar., & Sanch. contra nonnullos; Sunt tamen infames infamia juris, qui officium infame exercent, ut Histrones, qui publice obscena repraesentant; Nec videtur aliud officium, quamvis vile, infamiam juris habere; cum nullo jure scripto id probetur. Demum omnes in jure civili infames sunt etiam infames jure canonico, ut notat Avil. ex cap. Omnes vero 6., *quast. 1.*

His explicatis, Certum est, irregulares esse omnes infames tam infamia juris, quam facti; cum non debeant in sortem Domini puri, & immaculati nominis cooptari. Verum infamia facti impedit tantum a recipiendis Ordinibus, quamdiu homo non purgatur ab illa; etenim post emendationem non est amplius irregularis; ab usu vero Ordinum susceptorum eatenus impedit, quatenus ipsam crimen impedit, ut notat Avil. Ad hoc autem ut habeatur emendatio, quae infamiam facti aboleat, requiritur universim ut saltem per triennium continetur. Infamia vero juris tollitur dispensatione solius Pontificis, qui nunquam illam concedit, nisi purgata infamia. Episcopus etiam potest dispensare, ut infamis in susceptis Ordinibus ministret post peractam poenitentiam, si delicta, ex quibus contracta est infamia, sint adulterio minorata, ut notat Pal.

VII. Rogabis; An per solemnem poenitentiam quis fiat irregularis?

Respondeo, Poenitentiam esse aliam publicam, aliam solemnem. Solemnis quidem fieri solebat in principio Quadragesimae cum certis quibusdam caeremoniis imposita ab Episcopo; Publica vero ex mandato Episcopi, vel

alterius Superioris fieri solebat sine illis caeremoniis: Solemnis poenitentia pariebat irregularitatem, non vero publica: Cum autem talis poenitentia non sit amplius in usu, non habet amplius locum talis irregularitas.

VIII. Quinto, ex defectu natalium est irregularis, qui est illegitimus, quamvis occultus, ex cap. 1. *de filiis Presbyterorum*, ut docent communiter; quamvis Castro Pal. lib. 1. de lege poenali cap. ultim. apud Avil. aliter sentiat de illegitimo occulto: Est autem illegitimus, qui ex matrimonio non legitimo natus est, sed vel ex fornicatione, vel adulterio, &c.; Si tamen ex adultero, & soluta natus est, dicitur Nothus; Si vero ex concubitu damnato, scilicet ex stupro, raptu, sacrilegio, incestu, vel ex foemina conjugata, dicitur Spurius; at si ex soluto, & concubina domi retenta, dicitur filius naturalis; Si demum ex meretrice, appellatur Manser. Non est tamen illegitimus, qui procreatus est ex matrimonio propter aliquod impedimentum nullo, dummodo vel ambo parentes, vel saltem unus tale impedimentum ignoraverit, & contraxerint in facie Ecclesiae; ut idem Avil. docet dub. 5. cum Bonac. Neque tenetur filius se gerere ut irregularem, nisi constet de mala fide parentum; Neque tenetur credere matri asserenti, ipsum esse illegitimum, etiamsi illa id asserat in articulo mortis cum juramento, ex Bonac., & Suar. disp. 50. sect. 4. Sunt autem legitimi filii infidelium nati ex matrimonio valido secundum leges ipsorum, quamvis secundum leges Canonicas invalido.

Tribus modis tolli potest haec irregularitas, videlicet per legitimacionem, per professionem religiosam, & per dispensationem. Quare legitimatus a Papa (non vero ab Imperatore, vel ab aliis Principibus secularibus) habilis est ad Ordines, & ad beneficia, & di-

& dignitates Ecclesiasticas : Sicut etiam qui per subsequens matrimonium legitimitur, dummodo parentes habiles essent ad matrimonium contrahendum, quando filius fuit conceptus, vel saltem quando natus est; Quamvis hic ad Cardinalatum fit inhabilis, ex motu proprio Sixti V. apud Sayr. Item per professionem religiosam filius illegitimus fit habilis ad Ordines, non tamen ad Pralaturam. Nihilominus Gregor. XIV. anno 1591. Societati concessit, quod P. Generalis possit cum illegitimis dispensare ad quælibet officia, gradus, & dignitates in Societate obtinendas.

Demum dispensatus fit habilis ad illum actum, ad quem est dispensatus, juxta verba dispensationis, quæ strictè interpretanda sunt, cum dispensatio sit odium juris. Hinc dispensatus ad Ordines non censetur dispensatus ad beneficium; nec dispensatus ad beneficium simplex censetur dispensatus ad beneficium curatum. Episcopus potest cum illegitimo dispensare solum ad Ordines minores, & ad unum beneficium simplex non requirens Ordinem Sacrum, (qualem requirit Canonatus Ecclesiae Cathedralis) ut notat Bonac. punct. 3. num. 15. ex Suar., Filliuc., & aliis.

IX. Dubium est; An possit Episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex illegimitate orta ex occulto delicto?

Negant Suar., Bonac., Ugolin., & alii. Etenim quamvis Tridentinum concedat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientius ex delicto occulto, hæc tamen irregularitas non dicitur esse ex delicto, cum non sit ex proprio ipsius illegitimi delicto. Affirmant vero Filliuc., Sylvest., & alii; quia quamvis dispensatio, utpote odium juris, strictè interpretanda sit, ex cap. *final. de Simon*, potestas tamen dispensandi, utpote

favorabilis, est latissime interpretanda: Etenim beneficium Principis, quando non est in damnum tertii, est interpretandum latissime, ex cap. *Horum, de verborum significatione*: Cum autem potestas dispensandi super irregularitate proveniente ex delicto occulto sit quoddam beneficium concessum Episcopis a Trident., debet latissime interpretari: Unde possunt Episcopi dispensare, siue irregularitas proveniat ex delicto occulto proprio, siue alieno.

Neque dicas, Privilegium, cum sit contra jus, vel saltem præter jus, esse strictè interpretandum, ex cap. *Cum dilectus, de consuetudine*. Nam potestas hæc in Episcopis non est proprie, & in rigore Privilegium, quod privat lege, & æquivaleret dispensationi, sed est Privilegium late, seu beneficium, quod latissime interpretandum, & ampliandum est. Ratio est, tum quia Episcopus stando in jure divino, potest in omnibus irregularitatibus jure humano impositis dispensare; tum quia nullo jure habetur, quod Papa non possit suam facultatem aliis delegare; In quo casu beneficium conferret, quod latissime interpretandum est, non vero Privilegium, quod sit interpretandum strictè.

X. Dubitatur ulterius; Utrum expositus, cujus parentes ignorantur, præsumendus sit illegitimus, & irregularis? Affirmant communissime Doctores, quia in tali casu non haberetur solum dubium, sed moralis certitudo de illegimitate; cum plerumque soleant illegitimi exponi; quæ vero plerumque accidunt, sunt credenda, ex leg. *Si possidentis, Cod. de probat.*; Raro autem exponuntur legitimi ratione paupertatis; cum ex hoc sequatur infamia parentibus. Con. tamen disp. 18. dub. 12., Leand. disp. 3. quest. 6., & alii putant, probabilius esse, quod non sit irregularis; quia quilibet præsu-

presumendus legitimus, donec contrarium probetur.

XI. Sexto, Tres animæ defectus irregularitatem inducunt. Primo, defectus usus rationis. Secundo, defectus scientiæ. Tertio, defectus fidei.

Circa primum, jure etiam Divino, & naturali Amentes carentes usu rationis sunt inhabiles ad Ordines suscipiendos, quamvis si suscipiant, recipiant Characterem. Sunt etiam ex hoc capite irregulares pueri carentes usu rationis; quo acquisito irregularitas cessat. In amente tamen, vel furioso non cessat irregularitas, etiamsi perfectam acquirant sanitatem, ex cap. *Maritum*, *dist.* 33.; quia qui semel id passus, raro præsupponitur perfecte sanus sine metu relabendi in idem. Si tamen amentia superveniat jam ordinato, poterit Ordines exercere, si post diuturnum tempus, prudentis judicio judicetur in sanitate confirmatus.

XII. Circa secundum, Defectus scientiæ necessariæ ad usum, & exercitium Ordinum, etiam jure naturali, & Divino, reddit hominem ineptum ad illos. Jus enim naturale dicitur, non esse admittendos ad aliquod munus, qui nequeunt illud exercere. Si tamen quæras, quænam scientia requiratur? Respondeo ex Tridentino *sess.* 23. cap. 4., quod initiandus prima tonsura debet esse confirmatus, callere rudimenta fidei, & scire legere, & scribere. Ad Ordines minores requiritur, ut intelligat linguam latinam; Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut habeat instructionem eorum, quæ pertinent ad tales Ordines exercendos; Ad Sacerdotium, ut habeat eam scientiam, qua possit populum docere mysteria fidei, & Sacramenta administrare; Ad Episcopatum, ut sit Doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, aut in jure Canonico, vel ut publico testimonio constet esse idoneum ad alios docendos: Docet tamen *Henr.* cap. *Pars VIII.*

8. num. 21., licitum esse Episcopo, religiosum, qui bene legit, & cantat, promovere ad Ordines sacros; quia sic videtur minister idoneus ad ministeria suæ religionis. Garz., & idem *Henr.* putant, defectum scientiæ (ut si quis ita sit illiteratus, ut nunquam grammaticam audierit) prohibere quidem susceptionem Ordinum, sed non parere irregularitatem; Communiter tamen docent parere irregularitatem, quæ, sublata ignorantia, tollatur.

XIII. Quæritur; Quisnam possit in hac irregularitate dispensare?

Respondeo, multos putare, quod Pontifex in ea dispensare non possit; cum non possit in iis, quæ juris naturalis sunt, dispensare; Verius dicendum cum *Suar.* num. 11., Pontificem posse dispensare in eo, quod est juris canonici, non vero naturalis; quare cum jus Canonicum majorem scientiam requirat, quam requiritur ex natura rei, poterit in eo Papa dispensare. Immo potest dispensare, quod quis Ordines recipiat, modo illos non exerceat, antequam necessariam scientiam acquirat; Præterea ex *Henr.* apud *Avil.*, qui non est omnino ignarus literarum, potest ex dispensatione Episcopi ministrare in Ordinibus susceptis.

XIV. Circa tertium; Sunt etiam irregulares Neophyti, ex *dist.* 48. videlicet qui ex lege judaica, mahometica, aut ethnica nuper ad fidem conversi sunt. In qua irregularitate solus Pontifex dispensare potest, nisi in aliquo casu id detur Episcopis. Notat tamen *Tolet.*, post decennium a suscepto baptismo cessare hanc irregularitatem, cum non sint amplius recenter conversi; si tamen intra hoc tempus ita profecerint in fide, & in moribus, ut arbitrio Episcopi sint quasi veterani Christiani, poterunt pariter ordinari.

XV. Denique ille defectus, seu vitium corporis irregularitatem inducit, C c quod



quod vel impedit usum, & exercitium Ordinum, vel notabilem deformitatem, aut horrorem gignit. Si hujusmodi defectus Presbyteratum præcedat, ad omnes Ordines inhabilem reddit, cum omnes ad illum referantur; Si vero jam ordinato superveniat, impedit tantum ministerium illi repugnans. Ita Suar. disp. 51. sect. 2.: Quare abscissio nasi irregularitatem parit propter deformitatem; sicut etiam si nasus sit nimis distortus, si insignes maculæ sint in oculo, si labia sint penitus corrosa, vel abscissa, aut si lingua ita nodum patiat, ut verbum integrum proferri non possit; si dentes nimis extra os promineant; si quis careat uno oculo, aut visu utriusque, vel etiam solius sinistri, quo Canon legendus est; nisi polleat perfecto visu in dextero, itaut sine deformi conversione faciei possit legere Canonem; si sit surdus utraque aure, si pygmeus, vel gigas notabiliter; si magnus sit gibbus, semper habetur irregularitas. Qui caret utroque teste non est irregularis ex defectu; est autem irregularis ex delicto, qui ex indignatione amputavit sibi Virilia, ex cap. *Significavit, de corpore vitialis*; Quamvis enim si quis alteri testes abscindat, non sit irregularis, quia testes non sunt membrum, tamen si abscindat sibi ex indignatione, est irregularis; quia, ut docet Avil., severius ab Ecclesia hic punitur, quam ille. Docet tamen Bonac. punct. 2. num. 31., & 34., quod si quis ex justa causa permittat sibi amputari testes, & virilia, non sit irregularis; sit tamen irregularis, qui permittit sibi testes amputari causa castitatis, ex cap. *Signis absciderit, dist. 51.* Immo docet, hunc esse irregularem, etiam si permittat testes amputari sibi causa cantus; quod tamen Pal. negat num. 4.

Æthiops non videtur horrorem

parere; unde nec esset irregularis. Hermaphroditus, etiam si virili sexu polleat juxta communem sententiam apud Suar. est irregularis ob corporis defectum, seu vitium: Similiter est irregularis, qui non potest sine baculo ad altare ascendere, ibique functiones peragere, ex cap. *Signis infirmitate, dist. 55.* Sic qui parte etiam pollicis aut indicis caret, & qui laborat debilitate digitorum, itaut notabiliter impediatur frangere Eucharistiam, illamque tractare; & qui continua febris laborat; non tamen qui sola quartana, aut levi febricula. Pariter qui laborant morbo gallico horrorem, & scandalum gerente, vel lepra, aut multa scabie deformitatem inducente; & qui laborant peste.

XVI. Circa Dæmoniacos, seu Emergumenos dicendum, esse irregulares, etiam si semel eorum corpora a Dæmone fuerint obsessa. Idem dicas de Lunaticis, qui morbo caduco laborant; Idemque de Phreneticis, de Furiosis, & Amentibus, ex cap. *Marium, dist. 33.*, qui sunt perpetuo irregulares, etiam si sanitatem recuperent, ut supra diximus, dummodo furor, amentia, & mentis alienatio fuerit frequens, nec raro, aut ex causa transeunte contigerit; puta ex vi morbi, vulneris, iræ, passionis brevis, &c.; Hic enim non dicitur amens, vel furiosus habitualiter; unde nec est irregularis: Secus vero, si sæpe id contingat; unde præsumatur habere organa læsa, vel humores; quamvis habeat lucida intervalla.

Porro tam Dæmoniaci, quam Lunatici, Amentes, & Furiosi, qui post susceptum Sacerdotium id patiuntur, possunt ex dispensatione Episcopi illud exercere, si per annum, vel diuturnum tempus judicio prudentis, vel Judicis fuerint liberi a Dæmonis obsessione, vel a morbo caduco, a furore, & amentia. In tali

tali enim casu Episcopus potius declarat, impedimentum esse sublatum, quam dispensat; Lunatici tamen, qui raro, exempli gratia semel in mense, cadunt in terram absque clamore, spuma, aut horribili corporis agitatione, celebrare possunt adducto Sacerdote jejuno, qui perficiat sacrificium, si forte incepto Canone, morbo caduco corripiantur. Ita Bonac. loc. cit. Idemque docet Avil. disp. 5. dub. 4. de Furiosis, & Amantibus, qui non habent frequentem furorē & insaniam.

Respondeo cum communi, ad Episcopum pertinere, non vero ad confessarium, ex cap. 2. de Corpore vitiosis. Dubium est, an in Religiosis exemptis pertineat ad suum Prælatum, qui literas dimissorias potest concedere? Sylvest., & alii negant: Sed probabilius affirmant Angelus, Henr., & Avil. disp. 3. dub. 2. Certum est tamen, majorem requiri defectum ad impediendum exercitium Ordinis suscepti quam ad impediendum Ordinis susceptionem.

XVII. Quæritur secundo; An carens pollice, exempli gratia, possit minores Ordines, aut etiam Diaconatum suscipere?

Respondeo cum communiori apud Bonac., Pal., & Palud. negative, tum quia est de facto irregularis, unde ad nullum Ordinem promoveri potest; tum etiam quia omnes Ordines ad Sacerdotium diriguntur; Si ergo Sacerdotium nequit suscipere, neque cæteros Ordines poterit.

Demum solus Pontifex dispensare potest in hac irregularitate, quando corporis defectus notabilem deformitatem inducit; Qui tamen nunquam solet dispensare; quia talis deformitas scandalum solet gignere: Facilius tamen Religiosus dispensationem obtinebit; Immo multi apud Avil. disp. 3. dub. 3. docent, posse Episcopum dispensare cum Religioso, ut celebret cum pede ligneo: Quod si tale impedimentum superveniat Religioso jam ordinato, potest suus Prælatus dispensare: Si tamen irregularitas hæc proveniat ex delicto, ut si quis propria culpa abscindat sibi membrum aliquod, potest Episcopus aliquando dispensare, si scilicet membrum, & delictum sit occultum. Sed Opusculis hæc de sacramentis, & Censuris tandem aliquando sit (sed oh Ubi Æternitatis!)

F I N I S

A. M. D. G.,

ac Deiparæ sine labe Conceptæ.